

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Scriptura sacra an
cum fonte primo et editione 1550

Et quia unusquisque Sanctorum quanto ipse in Scriptura sacra profecerit, tanto haec eadem Scriptura sacra proficit apud ipsum, recte dicitur: *Cum ambularent animalia, ambulabant pariter et rotae; et cum eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul et rotae*, quia

diuina eloquia cum legente crescunt, nam tanto illa quisque altius intellegit, quanto in eis altius intendit. Vnde nec eleuantur rotae, si non eleuantur animalia, quia nisi legentium mentes ad alta profecerint, diuina dicta, uelut in imis, non intellecta iacent. Cum enim legenti cuilibet sermo Scripturae sacrae (si tepidus uidetur sensus diuini eloquii) eius mentem non excitat, et in cogitatione sua nullo intellectus lumine emicat, rota et otiosa et in terra est, quia animal non eleuatur a terra.

Gregorius Magnus, *Homelie in Hiezechielem prophetam*, 1, 7, 8 (CCSL 142, M. Adriaen ed., p.87, ll.140-153).

Diuina eloquia cum legente crescunt. Nam quanto illa quisque altius intelligit, tanto in eis altius intendit. Vnde nec eleuantur rote, si non eleuantur animalia, quia nisi legentium mentes ad alta profecerint, diuina dicta uelut in ymis non intellecta iacerent. Cum enim legenti cuilibet scripture sacre sermo, si tepidus diuini eloquii sensus uidetur, eius mentem non excitat, et in cogitatione nullo intellectus lumine emicat.

Gregorius omelia VII. super Ezechielem.

Diuina colloquia cum legente crescunt. nam tanto illa quisque altius intelligit: quanto in eis altius intendit. Unde nec eleuantur rotae, si non eleuantur animalia. quia nisi legentium mentes ad alta profecerint: diuina dicta uelut in imis non intellecta iacent. Cum enim legenti cuilibet, scripture sacre sermo, si tepidus diuini eloquii sensus uidetur: eius mentem non excitat, et in cogitatione nullo interius lumine emicat rota ociosa & in terra est, quia animal non eleuatur a terra.

Gregorius omelia VII. super Ezechielem.

Flores omnium fere doctorum (Venetiis, 1550), fol.470r-v.